To Wm. Long Esqre.
with Compts.
from his obliged Friend
The Author

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

CYNANCHE MALIGNA.

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

CYNANCHE MALIGNA;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE DIGNISSIMI VICE-CANCELLARII

ARCHIBALDI DAVIDSON, S. S. T. P. P.

ET COLLEGII GLASG. PRÆFECTI;

NEC NON,

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET

NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

IN COMITIIS UNIVERSITATIS GLASGUENSIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

CHRISTOPHERUS COOPER,

ANGLUS,

SOC. REG. MED. EDIN. SOC. ORDINAR.

AD DIEM XXX. MARTII, HORA ET LOCO SOLITIS.

GLASGUÆ:

TYPIS JACOBI MUNDELL, ACADEMIÆ TYPOGRAPHI.

1799.

GULIELMO KINNARD

LONDINIENSI,

ARMIGERO,

PACI

IN

MIDDLESEXIA

PRÆFECTORUM

UNI,

PEREXIGUUM

AMICITIÆ ET OBSERVANTIÆ

TESTIMONIUM,

HANC

DISPUTATIONEM,

GRATO ANIMO,

D. D. CQUE

CHRISTOPHERUS COOPER.

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
CYNANCHE MALIGNA.

CHRISTOPHERO COOPER, AUCTORE.

PROŒMIUM.

§ I. CONSIDERANTI, de qua re, ſummos medicinæ honores petiturus, ſcribat, multi ſanè morbi ſeſe offerunt. Horum verò nulli ſunt, quos magis oportet medicinalium honorum ambitioſum ſcire et ſcriptis tractare, quàm ii, qui, tabo peſtilente orti, contagione vulgantur; quippe enim cùm frequentes ſunt, tum, quoties graſſantur, plurimos rapiunt.

II. Morbus, de quo ſcribere nobis in animo eſt, nulli eorum, qui contagione ſerpunt, gravitate ſignorum et periculo ſecundus eſt. Perſæpe enim, medicinâ parùm valente, ægros abſumit: ſemper à medicis præſentaneum deſiderat efficaciſſimumque auxilium.

DEFINITIO.

III. CULLENUS ex ingenio clarus, quique cæteris, qui in claſſes, ordines, et genera, morbos diſpoſuerunt, palmam præripuit, *cynanchen malignam* optimè definivit. Quocirca, ad rem noſtram ſatìs erit ipſius verba citare.

" *Cynanche tonſillas et membranam faucium* " *mucoſam afficiens tumore, rubore, et cruſtis mu-* " *coſis, coloris albeſcentis vel cineritii, ſerpentibus,* " *et ulcera tegentibus; cum febre typhode et exan-* " *thematis*."

HISTORIA MORBI.

IV. In auſtralibus Europæ partibus, *cynanche maligna*, anno hominum generis ſalutis milleſimo ſexcenteſimo decimo, nota eſt; at maximè Neapoli, ubi, ſicuti literis proditum eſt, viginti ampliùs annos graſſata eſt.

V. Verùm non, ante annum, poſt Christum natum, milleſimum ſeptingenteſimum quadrageſimum octavum, in Anglia apparuit. Tunc verò temporis, adeò gravis erat et lethalis, ut in eam ſummam curam intenderent medici præclari haud pauci, præcipuè Fothergilius, qui, quantùm ſcimus, omnium noſtratum primus accuratè deſcripſit.

VI. *Cynanche maligna* plerumque autumno primâve hieme invadit; præcipuè, ſi præterita æſtas ſolito calidior fuerit.

VII. Infantes et impuberes, præ adultis, morbo, quem perſequimur, opportuni ſunt; puellæ, ut obſervârunt medici, præ pueris.

VIII. Quanquam nulli ſunt hominum, qualiſcunque iis corporis conſtitutio ſit, quin hoc morbo corripiantur, dummodo tabo, quo concitatur, impleti ſint; ii tamen, qui prægreſſis morbis, aliiſve cauſis, multùm debilitati ſint, apti, præ cæteris, ſunt, quos adoriatur.

IX. *Cynanche maligna* à vertigine incipit, et à horroribus, quos, haud multò pòſt, calores excipiunt. Poſtea verò quàm æger aliquandiu inhorruit viciſſimque incaluit, calore intenſo neque intermittente æſtuat.

X. Simul atque eò perventum ſit, caput vehementiſſimè dolet: collum, contra conſuetudinem, riget: ſenſus moleſtus in faucibus eſt: nauſeat, haud rarò etiam contenta evomit, ven-

triculus; interdum etiàm fluit alvus: inflammantur oculi et illachrymant.

XI. Internæ fauces introſpicienti tumidæ apparent, et igneo rubore. At tumor tamen haud ita magnus eſt; nedum multùm impedit, quò minùs æger cùm cibos ſatìs commodè devoret, tum ſpiritum hauriat et emittat. Haud multò pòſt, maculæ plurimæ albeſcentes vel cinereæ in faucibus obſervantur; quæ membranâ, qua inſident, vix eminentiores ſunt, at ſingulæ circumſiniuntur interſtitiis, quæ, pro morbi gravitate, colore variant à rubicundo ad ſubnigrum nigricantemve. Hæ maculæ magis lateſcunt magiſque, atque, quoties cruſtæ, quæ eas formant, reſolvuntur et decidunt, ulcera conſpiciuntur.

XII. Humor acris et fœtidus naribus effunditur, qui non has modò ipſas exedit, ſed labia quoque; neque profectò vero abſimile eſt,

hunc humorem in ſtomachum et inteſtina devoratum, vomitum movere et diarrhœam.

XIII. Febris interea continuat: pulſus arteriarum parvus eſt, frequens et inæqualis: æger ægrè fert morbum; ſimulque anxius eſt, et ad animi deliquium proclivis. Poſteriora hæc ſigna, veſperaſcente die, ingraveſcunt; neque priùs levantur, quàm matutino ſomno brevi et inquieto ſudor in ſummo corpore oritur, et aliquantùm remittit febris.

XIV. Præ debilitate totius corporis, *animales* quæ nominantur *functiones*, imbecillæ ſunt. Nonnunquam delirant ægri; nonnunquam ſopore opprimuntur.

XV. Secundo ferè morbi die, facies, collum, et pectus effloreſcunt papulis, et nonnihil tument. Hæ papulæ interdum exiguæ et diſcretæ ſunt, ſed plerumque confertæ, rubræ et con-

fluentes. Manus haud rarò rubent uſque ad digitorum ſummitates.

XVI. Papulæ neque certo tempore apparent, neque ad certum tempus perſtant. Plerumque verò, quatuor ferè diebus, reſolvuntur à cuticula, et ſquamatim decidunt. At neque papulis erumpentibus neque evaneſcentibus remittit ſemper morbus. Contrà, delirium cæteraque periculoſa ſigna ſingulis ſæpe horis ingraveſcunt, atque æger, quarto quintove morbi die, plerumque ante ſeptimum, moritur.

XVII. Morbi mitioris, qualis mortem non denunciat, ſigna, quæ ſpem injiciunt aut ſecuritatem pollicentur, tertio, quarto, quintove die ſeſe oſtendunt. Papulis evaneſcentibus, calor ſummæ cutis minuitur; pulſus ex celerrimo tardior fit; ulcera faucium internarum paulatim ſaneſcunt; atque, ſomno naturali et appetitu redeuntibus, æger tandem ad ſalutem redit.

DIAGNOSIS.

XVIII. Soli morbi, inter quos et *cynanchen malignam* tanta ſignorum communitas eſt, quanta errorem creare poſſit, ſunt *cynanche tonſillaris* et *ſcarlatina anginoſa*. Quibus itaque notis hi morbi ab illo dignoſcantur, hìc loci paucis dicendum eſt.

XIX. *Cynanche tonſillaris*—robuſtos et validos adoritur; eique tam impuberes quàm adulti, tam mares quàm fœminæ, opportuni ſunt. Contrà, *cynanche maligna* infantes et pueros, potiùs quàm puberes, invadit; fœminas, quàm mares; atque naturâ imbecillos, et morbis debilitatos, quàm conſtitutione corporis firmos, et proſperâ valetudine gaudentes.

XX. Quinetiam, *cynanche maligna* peſtilens eſt, atque autumno præcipuè et hieme graſſatur.

Cynanche tonſillaris nunquam contagione vulgatur, atque verno potiſſimùm tempore fauces inflammatione afficit. Ille morborum pulſu arteriarum celeri, imbecillo et inæquali cognoſcitur; hic, frequente, valido et duro. Ille duntaxat levem faucium dolorem movet; hic, contrà, graviſſimum. Denique, nauſea, vomitus, diarrhœa, ulcera faucium fœtida, magna debilitas, perpetua anxietas et præcordiorum gravitas, delirium, et hebetes oculi, plùs ſatìs oſtendunt, ægrum *cynanche malignâ* laborare.

XXI. *Scarlatinam anginoſam*—à *cynanche malignâ* diſtinguere, haud æquè facile eſt. Nullam inter eas differentiam, ſeu diſſimilitudinem, eſſe, qua clarè dignoſcantur, mihi videtur. Genere convenire, gradu differre, adductus propterea ſum, ut credam, quòd, ut ſæpe vidi, ex eodem tabo peſtilente enaſcuntur.

XXII. Ejuſdem generis varietates eſſe, opinantur multi auctores, clari in primis; præci-

puè WITHERINGIUS, qui in *ſcarlatinam angino-ſam*, ſummam diu curam intendit, eandemque accuratè et luculenter deſcripſit. Diu exiſtimavit, *cynanchen malignam* et *ſcarlatinam anginoſam* diverſos genere eſſe morbos; ſed longâ obſervatione et experientiâ inductus eſt, ut in contrariam iret opinionem. In re verò tantâ ipſius verba ponam.

XXIII. " Since the year 1778, an epidemic
" has frequently preſented itſelf to my obſerva-
" tion, both in the town of BIRMINGHAM and
" its neighbourhood, as well as in ſeveral parts
" of the ſurrounding counties. From the moſt
" aſſiduous attention to the ſubject, ever ſince
" that time; from obſerving it, in every differ-
" ence of ſeaſon, expoſure, age, and tempera-
" ment; I am now perſuaded, that the *ſcarlati-*
" *na anginoſa* and the *angina gangrænoſa* conſti-
" tute but one ſpecies of diſeaſe; that they
" owe their exiſtence to the ſame ſpecific con-
" tagion; that the varieties, in their appear-

" ance, depend upon contingent circumſtances; " and that the greateſt differences are not " greater than thoſe of the diſtinct and con- " fluent ſmall pox *."

XXIV. Si omnia adducerem argumenta, quibus confirmaretur hæc (xxiii.) opinio, non ſolùm tempus inutiliter conſumerem; ſed etiam declinarem à propoſito, atque fines hujuſmodi diſputationi conceſſos tranſgrederer. Nullâ igitur morâ, ad cauſas tranſibo, ex quibus oritur morbus, quem perſequor.

---

* Vid. WITHERING. *On Scarlet Fever and Sore Throat*, p. 8.

CAUSÆ REMOTÆ.

XXV. HUJUS generis caufarum aliæ humanum corpus morbo opportunum faciunt, aliæ in opportuno corpore morbum excitant. Illæ, medicorum linguâ, *prædifponentes* nominantur; hæ, *excitantes*. De utrifque ordine pauca dicenda funt.

XXVI. *PRÆDISPONENTES.*—Ad caufas, quæ noftra corpora in *cynanchen malignam* proclivia reddunt, pertinet laxitas fibrarum, ex quibus mufculi conftituuntur. Hinc patet ratio, quare infantes, præ adultis, hic morbus adoriatur; quare fœminas naturâ et fedentariâ vitâ delicatas et laxas, præ maribus robuftis, laboriofis, et mufculis firmioribus: etenim corpora, utì obfervârunt medici, utcunque laxata, cæteris aptiora exiftunt, quæ periculofo hoc morbo corripiantur.

XXVII. Eodem item genere comprehenditur debilitas. Effici autem hæc poteſt plurimis cauſis, veluti fatigatione qualibet; diætâ tenui et parcâ; magnis profluviis ſeu ſanguinis, ſeu alvi, ſeu menſium; animo ſeu timore, ſeu mœrore, ſeu aliâ qualibet ægritudine demiſſo; frigore et humore corpori diu admotis; ebrioſitate; et mulieroſitate: quæ ſanè omnia, ut ſatìs ſupèrque conſtat, corpora hominum debilitando morbis peſtilentibus opportuniora reddunt.

XXVIII. *Excitantes.*—Ad hoc cauſarum genus pertinet paludum anhelitus. Multi enim maligni morbi paluſtrium locorum exhalationibus enaſcuntur; præcipuè, ſi æſtuante ſole harum vis intendatur.

XXIX. Quàm inſalubres ſint vapores paludum et paluſtrium locorum, EUROPEI, qui in BATAVIA INDIÆ ORIENTALIS peregrinantur, nimis cognoſcunt. Fortes ibi viri plurimi, æ-

tate florentes, quotannis humidi cœli gravitate pereunt; atque, utì semel obſervavi, morborum, quibus abſumuntur, unus *cynanche maligna* eſt.

xxx. Ejuſdem (xxviii.) generis ſunt vapores, quos exhalant putreſcentia, ſeu excrementa cadaverave animalium, ſive emortua ea quæ terrâ naſcuntur. Hanc ob rem, carceres, naves, valetudinaria, caſtra, ubi magna vis hominum in arctum ſpatium congregatur, hujus peſtis fœcunda ſunt; maximè, ſi idonea ſimul veſtitûs et munditiæ ratio non habeatur.

xxxi. Ortum peſtilens his (xxviii.—xxx.) parentibus tabum, *cynanchen malignam* generat; lethalem ſanè morbum, qui, primùm ut generatus, miniſteriis in vicem, et contactu longè latèque graſſatur.

CAUSA PROXIMA.

XXXII. Nunc inter omnes ferme auctores convenit, proximam *cynanches malignæ* causam esse tabum pestilens sui generis, quod aliquo corpus modo penetravit.

XXXIII. "Causa," ait Homius, "proxima "hujus morbi est *miasma* quoddam sui generis "corpori ab aëre vel corporibus antea affectis "communicatum. Frequens morbi ad astan-"tes et totam familiam, per spiritum vel sa-"niem ore rejectam, transmissio, morbum con-"tagiosum demonstrat."

XXXIV. At qua tamen naturâ sit hoc (xxxii.) tabum, et quemadmodum in corporibus humanis, quæ penetraverit, signa sibi propria concitet, prorsùs ignoratur, et diu forsitan ignorabitur. De re igitur ignota, silere satius videtur, quàm inania et fortasse falsa dicere.

PROGNOSIS.

XXXV. Quum, uti medici comperti ſunt, *cynanche maligna* tam ſæpe in gangrænam tranſeat, aut diarrhœâ ægri vires exhauriat; æger multùm periclitatur, præcipuè ſi medicum non tempeſtivè advocaverit.

XXXVI. Ubi nauſea, vomitus et purgatio vehementer urgent, ægrotus brevi plurimùm debilitatur, neque cætera mala, quæ parit morbus, ferre poteſt. Mali igitur morbi teſtimonium eſt, ſi, unà cum his, febris nihil remittit. Neque verò bonum ſignum eſt, caput atque dorſum graviter dolere, ſimulque ægrum mente alienari. In ſummo periculo verſatur, cui in faucibus ulcera liveſcunt aut nigricant; cui ſumma cutis inardeſcit; cujus ex ore halitus admodum fœtet; cuique lingua nigrâ cruſtâ ob-

tegitur. Denique, ſervari vix poteſt is, cujus ex naribus ſanguis ſubinde profluit.

XXXVII. Contrà, ſcire licet, ægrum non periclitari, ſi ulcera rubeſcunt; ſi vomitus et diarrhœa vel non omnino, vel pauliſper tantùm, urgent; ſi ægro mens conſtat, oculique, ſicut ſani, nitent; ſi, poſt papulas ortas, ſigna aliquantùm remittunt, et adhuc magis, quo tempore hæ à cute reſolutæ ſquamatim decidunt.

XXXVIII. Medicorum intereſt animadvertere, qualis tempeſtas ſit; quid anni tempus; qualis ægri corporis habitus: ſine enim horum notitia, non facilè quicquam in futurum præſagire poterunt.

XXXIX. Verùm, etiam his (xxxvii. et xxxviii.) cognitis, caveant medici, ne, de *cynanches malignæ* eventu, quid temerè vel inconſideratè prædicant: nam fallax adeò morbus eſt, ut haud rarò lætam ſalutis ſpem, quam injecerint, brevi vanam et irritam faciat.

CURATIO.

XL. Nunc ad longè utiliſſimam rei noſtræ partem tranſeundum eſt; in qua quàm pauciſſimis dicendum, qua ratione morbus periculoſus, quem perſequimur, ad ſanitatem perducatur.

XLI. Hunc in finem, medici alia atque alia medicamenta experti ſunt, pro opinione, quam de morbi natura tenuerunt. De horum præcipuis, pauca dicemus.

XLII. *Sanguinis missio.*—Medici olim, præſertim Hispanici et Italici, præcipere, ut, ineunte *cynanche malignâ*, mitteretur ex ægro ſanguis, ſolebant. Atque, quum, apud medicos aliorum veſtigiis inhærentes, potiùs quàm rationi inſiſtentes, diu morbi cognitio extra artem, medicina intra uſum eſſet, mos ſanguinem,

initio hujus morbi, incisâ venâ, mittendi, ufque ad FOTHERGILII tempus inveteravit.

XLIII. Hic verò medicus, ex doctrina et ingenio clarus in primis, naturâ *cynanches malignæ* meliùs cognitâ atque intellectâ, non tanti putavit auctores, quanti ægros; ideoque miffionem fanguinis, quæ, ficuti periculo compertus eft, non modò non prodeft, fed ægrum ferè jugulat, vehementer improbavit. Sed in re tanta auctorem ipfum pro me ponam.

XLIV. 1. "Bleeding in this difeafe, has, in "general, been obferved to be prejudicial: "fome indeed admit of it, at the firft attack, "without any fenfible inconvenience; but a "repetition of it, even when the difeafe is mild "and favourable, feldom fails to aggravate "the fymptoms, and in fome cafes it appears "to have produced very fatal confequences.

2. "The heat, reftlefsnefs, delirium, and

" difficulty of breathing, which this evacuation " commonly prevents or mitigates in other " cafes, in this are increafed by it, nor does " the fwelling of the tonfills, fauces, &c. feem " to receive the leaft benefit from it; on the " contrary, though the fullnefs of thefe parts " decreafes, yet the floughs thicken, or change " to a livid or black colour, the external tu- " mor grows large, and the fpitting continually " diminifhes."

3. In fubnexis adjicit " the heat, indeed, and " quicknefs of the pulfe, feem, at firft, to be " affected by this evacuation; but they com- " monly return, after a fallacious refpite, with " greater violence. The patient is feized with " difficulty of breathing, falls into cold fweats " and ftupor, and dies fuddenly *."

XLV. FOTHERGILIO, hac de re, accedit

* Vid. FOTHERGIL. *On the Ulcerous Sore Throat.*

Huxhamus, auctor graviſſimus, qui *cynanchen malignam* accuratè deſcripſit. Opinionem horum medicorum recentiores auctores confirmant; atque, noſtris temporibus, ſanguinem ex iis hoc morbo correptis mittendi uſus, ex toto, exolevit.

xlvi. Namque, etiamſi initio fauces inflammatione afficiantur, tamen, modò ex cæteris ſignis ſit, quamobrem *cynanche malignâ* ægrum corripi ſuſpicemur, ſatius erit permittere, ut inflammatio in ſuppurationem tranſeat, quàm ſanguinem detrahendo vires diſſipare, uſque eò forſitan, ut æger vim reliqui morbi ferre nequeat; id ſanè, quod cautiſſimè vitandum eſt.

xlvii. *Purgatio*—vix minùs iis, qui *cynanche malignâ* laborant, nociva eſt, quàm miſſio ſanguinis. Hujus morbi ratio tantùm poſtulat, ut alvus leniter ſolvatur; id, quod tutò fieri poteſt eſculentis laxantibus, fructibus maturis,

aut emollientibus lenioribus ex inferiore parte infufis.

XLVIII. *Vomitio*,—ineunte *cynanche malignâ*, ægris haud parùm prodeft; non folùm ventriculum fordibus liberando, fed etiam eas faucium partes detergendo quæ gargarizari nequeunt.

XLIX. Quæ, hunc in (xlviii.) finem, vomitoria ab ægro affumenda fint, ex cognita morbi ratione judicandum eft, et viribus, quæ ægro fuperfint. Plerumque tamen *ipecacuanæ* primas concedunt medici, quia alvum minùs afficit, quàm præparata vomitoria ex *antimonio*.

L. *Exulceratio*—externarum faucium, *cynanche malignâ* laborantibus, initio, multùm opitulatur. Quinetiam, exulceratoria, ventriculi regioni impofita, haud rarò fiftunt vomitum, quem alia medicamenta fedare nequiêrunt.

LI. *Acida*,—vegetabilia ſeu mineralia, illa verò præcipuè, morbo, de quo diſputatur, implicitis non ſolùm grata in primis ſunt, ſed etiam multùm proficiunt. Si verò, utì interdum, alvum moveant, protinus intermittenda ſunt.

LII. *Gargarizationes.*—Maxima interea oris et faucium cura habenda eſt, ne ſordibus turpiter ſqualeant. Hoc conſilio, gargarizanda ſubinde ſunt medicamentis, ex iis quæ putredini obſtant. Infantium, qui ipſi gargarizatione uti nequeunt, ora et fauces chirurgus aut aſſidentes, ejuſdemmodi medicamentis, clyſteris ope immiſſis, gargarizare poſſunt.

LIII. Varia, quibus gargarizentur fauces, medici experti ſunt. Aqua verò, qua maceratæ roſæ ſint, aut aqua coƈta ex *cinchonæ* cortice, quam gratè acidulam additum *acidum ſulphuricum* reddiderit, cæteris fortaſſe anteponenda eſt.

LIV. *Cinchonæ cortex.*—Cæteris verò medicamentis, quibus *cynanche malignæ* ſubveniatur, primas *cinchonæ* cortici deferunt medici; qui, utì monet Cullenus, ab initio morbi, uſque ad finem, ægris parcâ haud manu porrigi debet. Quàm optimè hoc medicamentum morbo conveniat, docet quotidiana medicorum experientia.

LV. Hujus corticis pulvis, dummòdo ventriculo idoneus ſit, præparatis ex eo anteferendus eſt. Si, quod interdum accidit, alvi profluvium movet, ſingulis doſibus paucas *tincturæ opii* guttulas addere oportet. Accidit interdum, ut infantes hoc medicamentum nequeant vel nolint aſſumere. Tunc ejuſdem copia, à duabus drachmis ad ſemunciam, in alvum ſubter dari debet.

LVI. *Vinum*—medicamentorum, quæ *cardiaca* nominantur, iis, qui *cynanche malignâ* laborant, longè optimum eſt et jucundiſſimum.

Vel adhibeatur unà cum *cinchonæ* cortice, vel temperatum aquâ et ſaccharo in potum grà-tiſſimum, quem noſtrates *negum* nominant. Quantum vini aſſumendum ſit, judicabit medicus, conſiderando quæ ſit ægroti ætas, et animadvertendo ex illo, necne, commodum hic accipiat.

LVII. Vinum eâ copiâ aſſumptum, quam morbi ratio requirat, ægris plerumque multimodìs opitulatur. Namque delirium ſedat; pulſus arteriarum tardiores, at validiores, reddit; calorem cutis minuit, et lenem haud rarò elicit ſudorem; atque, mirum in modum, anxietatem et præcordiorum gravitatem levat, ſomnumque conciliat.

LVIII. *Opium*,—ad alvi profluvium, quo ægri vires ſæpe admodum diſſipantur, inhibendum plurimùm pollet. Ni hoc profluvium opportunè ſiſtatur, vel ſaltem tardetur, brevi ægrum in extremum diſcrimen adducit. Ad

continendam quoque alvum, ſi quando nimis fluit, vinum, in quo coctum cinnamomum ſit, efficaciſſimum eſt.

LIX. Simul ut *cynanche maligna* invaſit, æger in lectum ſe recipere debet; atque, ſi, poſt aſſumptum vomitorium, nauſea et vomitus juſto diutius vexant, ferme ſedari poſſunt *citrate potaſſæ* effervefçente, cui viginti quinque ſeu triginta *tincturæ* opii guttulæ additæ ſunt.

LX. *Munditia.*—Maximi momenti eſt, cubiculum, ubi æger lecto tenetur, quàm maximè purificare, et aëra in id per feneſtras apertas ſubinde intromittere; ſimulque ægrum ipſum ſtragulis non opprimere. Quantùm hoc morbo ægris munditiæ ratio conſtans proficiat, ipſe, duos abhinc annos, compertus ſum. Res, utì erant, breviter narrabo.

LXI. I. Puella decennis haud obſcuro loco nata, quæ maximâ vi *cynanches malignæ* labora-

bat, ad ſanitatem perducta eſt multo uſu *cinchonæ* corticis, et *vini rubri Luſitanii.* Præterea verò aëri frigido expoſita eſt, atque ſpongiâ ſuccidâ mixtis aquâ et aceto ſubinde exterſa; quibus minuebantur delirium et cutis calor, quæ utraque eam admodum vexabant.

2. Inductus ſum, ut hanc (lxi. 1.) curationem experirer, magno levamine, quod accepit ex aqua frigida, quam ei roganti ut biberet permiſſum eſt.

3. Hæc ægra magnam vim humoris purulenti et acerrimi profudit ex naribus et auribus; et, quod mirum, etiamſi ſe cæteroquin confirmaverit, hactenus tamen ſurda eſt.

LXII. Lintea ægrorum veſtimenta frequenter novanda ſunt, et omnia excrementa quamprimum ex cubiculo ſubmovenda. Lecto quoque, quo affiguntur, acetum aſpergere utiliſſimum erit, et haud ſcio annon etiam cubiculum, modo

quem propofuit CARMICHAEL SMITHIUS, nonnunquam fumigare.

LXIII. Haud rarò accidit, ut ii, qui hoc morbo defuncti funt, tardiffimè priftinum vigorem recuperent. Quò igitur citiùs confirmentur, debent cœlum aliquandiu mutare; fe quotidie fub Jove ficco et puro leniter exercitare; diætâ nutriente, et concoctu facili vivere; et, quoties opus videatur, *cinchonæ* cortice et modico vini ufu fibi indulgere.

FINIS.

ERRATUM.

Pag. 11. *lin.* 9. *pro* an *lege* our.